



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agrippinae, 1684**

82. Personæ miserabiles, an vocare possint exemptos in jus coram  
miserabilium personarum iudicibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

in Constitutione Pontificia habetur in Clem. 1. de supp. neglig. Prælat. Wamef. conf. 65. mem. 4. de iudicia, vol. 1. id quod Joannes de Imola à negligentia extendit ad pleraque alta in d. Clem. 1. num. 8. plura sub hac re videantur apud Wamef. d. conf. per totum, & quæ scriptum 2. part. 1. §. 6. nu. 74.

Q U Æ S T I O LXXXI.

Prælatorum nomine qui comprehendantur.

Præcedenti quæstione facta mentio Prælatorum viam nobis aperit ad hanc, qui Prælatorum nomine comprehendantur: imprimis comprehenduntur Abbates, quære dicantur Prælati, & ordinarii. cap. nullus monachus cap. nullam potestatem 18. quæst. 2. cap. ne pio defectu §. statimus cum gloss. vers. Regularis de elect. Deinde, Prælatorum appellatione veniunt, quotquot Jurisdictionem ordinariam habent, ut sunt Decani, Præpositi, Archid. Archipræsbyteri, & alii inferiores, jurisdictionem ordinariam habentes. cap. decernimus ibi Abbas, Felin. de iudicis. Mandos. in Reg. Cancellaria Reg. 26. quæst. 6. n. 4. & 5.

Q U Æ S T I O LXXXII.

Personæ miserabiles, an vocare possint Exemptos in jus coram miserabilium personarum Judicibus?

Alio in loco lib. 4. quæst. 108. quærivimus, an exempti vocare possint in jus personæ miserabiles coram Judicibus Exemptorum, hic quæro, quid in casu converso, utrum personæ miserabiles vocare possint Exemptos coram personarum miserabilium Judicibus propriis? breviter respondeo non posse; quia licet miserabiles personæ possint certis ex causis judicem eligere, non tamen possint eligere judicem incompetentem, Afflic. dec. 257. Denique, quod statuitur, miserabiles personæ habere jus eligendi judicem Rei, procedit, quando reus habet plures iudices de jure communi, & alium ex privilegio, sibi & Actori tributo, tunc eligens forum, secundum jus commune præfertur eligenti forum, secundum Privilegium, Afflicus d. dec. 257. nu. 6.

Q U Æ S T I O LXXXIII.

Personæ miserabiles, an de feudali causa litigare debeant coram paribus Curie.

Henricus à Rosendall insignis feudologista, censuit miserabilem personam feudali spoliatam, aut interturbatam, conqueri posse non coram Curie paribus, sed